DE SARCOMATIS CYSTICI MAMMAE MULIEBRIS SPECIE NOVA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE BONNENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XVII. M. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Petrus Kessel

RHENANUS.

Opponentibus:

H. SMITZ, med. et chir. Dr.
A. HERR, med. et chir. Cand.
A. WILLEMS, med. et chir. Cand.

BONNAE,

Typis Francisci Baaden.

MDCCCXXXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

G. W. Wutzer,

Medicinae et Chirurgiae Doctori, Rei Medicae Consiliario intimo, Prof. Publ. Ordin., instituti clinici chirurgico-ophthalmiatrici, nec non studii chirurgici et Pharm. in universitate Frider. Guilelm. Rhenana Directori, Academiae Regiae Parisiensis, Societ. Med. Berolin. Halens. Erlangens. Mogunt. et Monast. Sodali etc. etc.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO.

D. D. D.

Proximo, qui praeteriit, anno, quum inter alia selecta clinices chirurgicae capita ab Ill. Professore Wutzer tradita de morbis mammae muliebris sermo esset, et varii tumores, quos ille exstirpaverat, ante oculos ponerentur, ex his praesertim unus fuit, qui raritatis causa atque pro singulari specie, quam prae se ferebat, animum attendit. Et cum materies pro exaranda dissertatione inaugurali mihi adhuc deesset, in mentem mihi venit, casum ipsum describere, simulque colligere, quae similia forsan hucusque observata essent. Quod cum Ill. Professori Wutzer proposuissem, minime refutandam esse rem electam credidit et maxima cum benevolentia non solum promisit libros, qui huc pertinerent, se mihi daturum, sed etiam morbi historiam brevem communicaturum. Cum autem deinde multa eo consilio pervolverem, ut eiusmodi aut saltem vero similia pseudorgana ab aliis ex mamma muliebri excisa detegerem, operam in eo consumtam fere perdidi, quam ob rem historica propius huc spectantia mihi non licet referre.

Lugendum est, tumorem, de quo agitur, tum demum esse examinatum, quum per aliquod temporis spatium spiritu vini reservatus iam fuisset, quare exploratio quoque chemica a nobis infra communicata,

qua alias perapte ad rem clariorem in lucem proferendam uti potuissemus, tanti aestimanda non est, quanti optari liceret. — Antequam autem tumorem hunc designamus, introductionis loco sermonem facere liceat:

De morbis mammae muliebris in universum, imprimis de eorum sede primaria.

A pubertatis usque ad decrepiditatis annos, praesertim autem in hisce ipsis, mamma muliebris permultis morbis est exposita. Cuius causa in diversis quaerenda. Dum enim omnia transgredimur nocentia externa, quorum plurima in mala vitae ratione, in malis consuetudinibus et aliis fontem habent, imprimis ea, quae ab ipsis diversis vitae stadiis dependeant, hic consideranda sunt. Ad annos pubertatis usque mamma muliebris, sicuti totum systema genitalium, a nisu formativo, ut ita dicam, negligitur. Volumine parvo tantum et functione nulla instructa est, dum plurima alia organa iam magna evolutione gaudent, quae sensim sensimque exorta est. Tunc autem fere subito magna exoritur mutatio mammae; nisus formativus imprimis in illam vim exercet, et hoc non fit, quin eodem tempore irritabilitas mammae antea parva nunc repente et quidem permagno gradu adaugeatur. Quo sane necesse est, ut dispositio aliqua ad morbos enascatur. Huc deinde duae res accedunt, ad morbos mammae valde influentes. Graviditas enim atque lactatio, quae pubertatem subsequuntur, irritant

mammam accenduntque adauctam in illa vitam. Quanta illa sit, iam ex gravibus mutationibus mammae, quibuscum ista quam diximus graviditas coniuncta est, clarissime perspici licet. Dein adhuc magni momenti habenda illa, quae inter mammas atque uterum est, sympathia, tanquam res, in qua magna pars morborum fontem habet.

Sympathia est ista mutua inter organa ratio, qua fit, ut, si alterum organon morbo aliquo afficitur, alterum quoque magis minusve afficiatur. Quod quidem usque eo perducitur, ut saepius organa a foco morbi primarii valde aliena aegrotent. Talis ratio inter cerebrum atque hepar, inter meninges atque ventriculum occurrit. Nulla vero organa arctiori, quam qui est inter uterum atque mammas, nexu continentur. Quod non solum ex magnis mutationibus mammarum, quae graviditatem comitantur, sed etiam ex multis aliis apparet. Huc referendum est simultanea evolutio utriusque organi, deinde similitudo nonnulla telarum, imprimis vero lactationem, graviditate nova exorta, plurimis in casibus cessare, deinde interdum graves dolores, sugenti infante, in utero exoriri et adeo metrorrhagias enasci, denique inter molimina menstrualia in nonnullis etiam dolorem leniter lancinantem in mammis obvenire. Quae omnia maximam sympathiam inter utrumque organon existere probant. Haec cum vero ita sint, saepissime mammam muliebrem sympathico modo ex utero affici apparet. Gravissima enim functione, quae quidem quam facillime turbatur, uterus fungitur. Turbationem talem non solum in totum corpus aut in unum alterumve organon, sanguinis retenti causa, — in altero casu statum, quem

ucimus inflammatorium, in altero inflammationem cuiusdam organi ipsam efficientem, reflecti, — sed etiam secundum singularem illum nexum in mammas lubenter agere, eo intelligi potest, quod saepe fluxu mensium turbato praeter ea dolores lancinantes in mammis exoriantur. Ubi autem ex illo nexu mala plurime lethalia proveniant, permagnus exemplorum numerus demonstrat. Praecipue huc spectant illi casus maxime infausti, ubi menses fortiori, quam normali gradu fluxerant, nec non illi, in quibus dyscrasia aliqua fluxu mensium solummodo protracta aderat, deinde ubi iam ante cessationem mensium induratio aliqua, bonae vero indolis, in mamma adfuerat. In omnibus hisce casibus, si uterus ipse morbo non afficitur, sive scirrho seu fungo medullari sive alio quodam tumore, saepissime mamma muliebris sedem eorum praebet. Imprimis e tela cellulosa originem trahunt; tamen aliae quoque telae sedem primariam praebent. Dè hisce iam in sequentibus sermo erit. —

Telae, inter quas hic distinguendum est, hae sunt: Integumenta externa, panniculus adiposus, tela cellulosa subcutanea, tela cellulosa interstitialis, glandula conglomerata cum glebis singulis multo adipe involutis atque acinis, ex quibus vasa lactifera primam originem ducunt, deinde vasa sanguinifera atque lymphatica, denique nervi.

Quod ad integumenta externa pertinet, ibi imprimis occurrunt: exanthemata, inflammatio, illa conditio qua mamma saucia est, telangiectasia. Quod vero hanc attinet, autores modo in chorio ipso, modo in tela cellulosa subcutanea sedem primariam habere referunt.

Casum memoratu dignissimum tumoris ejusmodi, tamen in viro sexaginta annos nato observatum, apud Andralium legimus[1]). Thoracis pars anterior dextra tumorem praebuit, magnitudinem capitis infantis duodecim annorum aequantem, tactu mollem, dolorificum, levissimo tactu sanguinantem, ingenti numero striarum rubrarum instructum, ex quibus omni die multum sanguinis effluxit. Tumor morsu equi nonnullis annis antea facto hoc modo exortus erat, ut primum macula rubra in loco affecto appareret, quae sensim sensimque elevata in illum magnum tumorem transmutata est. Quo ex casu, quod tantum opinionis causa a nonnullis celeberrimis viris alitae, telangiectasiam quamque esse congenitam, hic commemoramus, simul apparet etiam mechanico modo eam posse enasci.

Quod ad telam cellulosam subcutaneam attinet, ibi imprimis occurrunt: inflammatio, abscessus scrofulosi, induratio.

In panniculo adiposo et adipis circa glebas maxima copia accumulata tumorem sic dictum adiposum[2]) atque indurationem[3]) exoriri referunt.

Hypertrophiam mammarum atque atrophiam in omnibus telis locum habere posse in promptu

1) Andral, anatomie pathologique. T. II. p. 262.

2) A. E. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt am Main 1823. Bd. I. S. 484.

3) Salzb. med. chirurgische Zeitung, Jahrgang 1811, B. III. S. 97.

est. Huc spectantem casum notatu dignissimum, quem ipse observavit, Astley Cooper enarrat[1]), ubi filia XVII annos nata mammam praebuit sinistram, quae diametrum rectam viginti pollicum habuit, viginti tres pollices ambitu metiens; et idem alium casum in nupta, viginti tres annos nata, observavit, ubi mamma ad abdomen usque dependebat[2]). Maximi autem ponderis, de quo legimus, fuit mamma a L. Schmalz excisa, quae quidem libr. XXX aequavit[3]).

In morbis mammarum enumerandis mastodynia sequatur. Secundum Astley Cooper ille morbus semper cum tumore coniunctus est[4]), dum alii illud symptoma magis accessorium habent. Quae tela imprimis hoc morbo afficiatur, eo apparet, dolorem, symptomatis inflammationis absentibus, quam minima causa externa moveri extendique super regiones mammae vicinas, et constitutionem, quam dicimus nervosam, plurimis in casibus eo morbo corrripi.

Tumor lacteus. Hic tumor aut ductu lactifero valde dilatato prope papillam continetur, aut, perrupto illo, in telam cellulosam effusus est. Permagnam interdum copiam lactis includit. Incredibilis fere casus refertur, quem Scarpa observavit[5]). Rustica viginti sex annos nata, corpore laxo, quae lactationem

---

1) Astley Cooper, Vorlesungen über die Grundsätze und Ausübung der Chirurgie, aus dem Englischen übersetzt. Weimar 1826, Bd. II. S. 181.

2) Eben daselbst.

3) Salzb. med. chirurg. Zeitung, Ergänzungsband IX. S. 57.

4) Astley Cooper. Vorlesungen, etc. Bd. II. S. 177.

5) Salzb. med. chirurg. Zeitung, Jahrgang 1802. B. I. S. 21.

ipsa curavit, die VII. post quam alterum partum ediderat, tumore in mamma sinistra versus regionem axillarem vergente, magnitudinem ovi gallinacei aequante, aliquid dolorifico sed non inflammato, lactis effluxu decrescente, affecta fuit. Quatuor mensibus post Scarpa primum eam vidit. Quo tempore eiusmodi voluminis mammam praebuit, ut, si sedebat, haec cruri superiaceret et vincturis sustineretur necesse esset. Cum sensus fluctuationis adesset, Scarpa operationem punctionis suscepit, quo facto decem librae lactis puri, limpidi et omnibus elementis, quae lactis sinceri esse chemia docet, instructi uno fluxu et vehementia quadam provenerunt.

De alio tumore in mamma, de quo, quantum scimus, ceteri autores nil referunt, apud Astley Cooper legitur[1]), cui ipse nomen intumescentiae simplicis chronicae imponit cuiusque etiam plures casus, quos ipse observavit, enarrat. Multis in rebus cum eo convenit, quod alii sub nomine intumescentiae scrofulosae describunt, tamen eo valde differt, quod illius causa latet, haec autem semper cum scrofulosi coniuncta est et ad suppurationem disposita. Astley Cooper ita describit anatomice ut dicat, explorationem docere, multos lobulos in illam coire tela cellulosa condensata inter se coniunctos et speciem lobulorum mammae prae se ferre, qui quidem iterum in minores maceratione seiungendos dividi possent. Quae quidem descriptio maxime ad indurationem simplicem pertinere videtur, sicuti

---

1) A. Cooper, *Vorlesungen etc. Bd. II. S. 174.*

legimus apud Andralium.[1]) Quod ad sedem primariam attinet, Astley Cooper telam cellulosam esse exhibet.

Iam tumor sequitur, cuius quidem de sede primaria nil afferre possumus, quem vero tanquam tumorem propriae indolis hic eo magis commemorare volumus, quod nusquam alibi eiusmodi relatum quidquam invenimus. Casus Pisae observatus est:[2]) Feminae XXX annos natae, fortis, bona valetudine gaudentis mamma utraque duritiem lapidis ubique praebuit, huc atque illuc movere eas licuit et cutis laete rubens, norma calidior, reliquo mammarum circuitu normalis, eas obtexit, papillis non retractis. Quo statu malum subito exortum iam diutius, quam per septem annos perstitisse femina asseruit, quae in ceteris bene se habuit, de dolore non quaesta est, mensibus bene fungebatur, etiam bona digestione gaudebat. Syphilidis vestigium nullum, scirrho nullo modo malum simile, tubera non sentienda, glandulae axillares et omnes partes circumiacentes sanae erant.

Mastitis. Sedes eïus primaria aut in tela glandularum ipsa aut in tela cellulosa interstitiali collocanda est, et ex hac diversitate illi nomen imponitur vel acinosae vel simplici. Etiam sedes eo differt utriusque inflammationis, ut prima magis inferiorem, altera magis eam partem mammae occupet, quae ad regionem axillarem vertitur. In ceteris adhuc eo differunt,

---

1) Andral, *anat. pathologique, T. II, p. 258.*

2) Gerson u. Julius, *Jahrbücher der Medizin, Band IX S. 419.*

ut mastitis simplex decursum habeat acutum, speciem erysipelatis prae se ferat et cum vehementi febri sit coniuncta, mastitis acinosa autem chronica, in indurationem lubenter transiens et febrem multo minorem efficiens; in illa denique tumor maior, valde deorsum vergens, secretio lactis non turbata — in hac tumor minor, lactis secretio semper magis minusve cessat.

Induratio simplex. Telam cellulosam sedem primariam praebere posse, iam supra commemoravimus, praeterea autem telam glandulosam, tela cellulosa non mutata, et interdum etiam parietes ductuum lactiferorum apud Andralium legitur.[1])

Tumorem fibrosum seu pancreaticum atque osseum diversos tantum gradus eiusdem morbi esse, autores non dissentiunt. Huc enim materies perdura non refertur, quae interdum apud arthriticas in hisce organis inventa est. Astley Cooper talem tumorem, quem exstirpaverat, explorans partim cartilagineum partim osseum, dum cartilaginis plurimum in os transmutatum fuisset, se invenisse refert[2]). Bayle, qui sub nomine „*corps fibreux*" magna cum sagacitate tumores eiusmodi describit, tria illorum genera exhibet, quorum duo priora ad altiorem duritiei gradum pervenire possent: corpora sarcomatosa, fibroso-cartilaginea et ossea.[3]) W. Cumin, cui quoque tumoris fibroso-cartilaginei exstirpandi occasio erat, casu memorabili enarrato ubi monachae

---

1) Andral, *anat. path. T. II, p. 258.*

2) Astley Cooper, *Vorlesungen etc. Bd. II. S. 180.*

3) Bayle, *dictionnaire des sciences med. art. corps fibreux.*

mamma utraque duritiem, ut illius verba reddam, ligni aut lapidis praebuit et cute aeque firmiter ac vinculum circa dolium circumstricta erat, mortuae autem in globulos dimidios quasi lapideos mutata inveniebatur, qui ea densitate instructi erant, ut cultro in illos penetrare non liceret, verba profert, ex quibus eum quoque a tali illorum tumorum transitu non abhorrere apparet.[1]) Eidem opinioni maxime favent observationes Andralii, qui interdum in hypertrophia ductuum lactiferorum sedem primariam indurationis mammae reperiens, illos textura fibrosa, cartilaginea et ossea affectos invenit, et, quomodo modo hanc, modo illam huius degenerationis speciem videre liceat, nec non de sede primaria horum tumorum verba faciens: in hisce magna cum sagacitate exponit.[2]) „*Une autre espèce d'induration de la glande mammaire avec augmentation ou diminution de son volume est celle dans la quelle il y a hypertrophie prédominante du tissu cellulaire et disparition plus ou moins complète du tissu normal de la glande. Dans ce cas, la glande mammaire, à la surface de chaque coupe, qu'on y pratique, présente des cloisons d'un blanc mat ou d'un blanc nacré, fibro-celluleuses, et souvent comme tendineuses. Il en résulte un certain nombre d'intersections, qui partagent la glande en lobes, en lobules et en grains; alors son tissu prend parfois un aspect granulé, et on le prendrait aisément pour le tissu du pancréas ou d'une glande salivaire. D'autres fois ce*

---

1) *Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche prakt. Aerzte. Bd. 34. S. 392.*

2) Andral, *anat. pathol. T. II, p. 258. u. 259.*

n'est plus cet aspect granulé qu'on observe, il n'y a plus de trace de tissu glandulaire et à sa place tantôt on trouve des masses fibro-celluleuses qui, à mesure qu'elles se sont développées, semblent avoir atrophié le tissu glandulaire." Ex quibus quamquam hi tumores imprimis telae cellulosae interstitiali insideant, tamen etiam in systemate lymphatico secundum eiusdem auctoris observationes occurrunt.

Scirrhus. De iis, quae huc pertinent, lis nondum diremta. Ita amplectitur Sieboldius sententiam, scirrhum mammae proximam esse sequelam inflammationis vasorum seu lymphaticorum seu sanguinem venosum ducentium, ad quam mamma ob propriam suam structuram disposita esset[1]).

Andralius e contrario scirrhum dicit massam homogeneam, duram, organisatione, quantum apparet, privatam, quae vel ex tela cellulosa ad maximum gradum usque condensata consisteret vel ex propria systematis lymphatici degeneratione enasceretur[2]). Quocum observationes ab Astley Cooper promulgatae tantum in nonnullis conveniunt. Nam secundum hunc autorem scirrhus massam fibrosam praebet, per quam ductus lactiferos tanquam strias albidas expansos videre licet quaeque per aliquod temporis spatium macerata, materia scirrhosa emollita, telam cellulosam, in qua deposita erat, relinquit, huius fibris multo crassioribus fortioribusque[3]. Ex

---

1) A. E. v. Siebold, *zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten, Bd. I. S. 490.*

2) Andral, *anat. path. T. II. p. 259.*

3) Astley Cooper, *Vorlesungen etc. Bd. II, S. 151.*

quo secundum meam quidem opinionem colligendum est, Astley Cooper sedem primariam scirrhi in tela cellulosa quidem ponere sed opinioni quoque favere, scirrhum in secretione abnormi esse sistendum, quod Andralius negat. Alia sententia, scirrhum indurationem esse chronicam glebarum vel organorum lac secernentium et promoventium, observatione nulla nitens, minoris habenda est.

Tumor cysticus. Alii alio nomine hunc tumorem adhuc designant, nec defuerunt qui omnem eiusmodi tumorem animal proprium habendum esse contenderunt. Hoc tempore autem, quantum scimus, illa minime valet sententia, tamen nuperrime adhuc fuere qui tumores cysticos inter atque hydatides, ut saltem videtur, non satis distinxere. Celeberrimus Astley Cooper tumores cysticos atque hydatides sub eodem nomine tractat[1]) et hanc solummodo differentiam ponit ut dicat, videri, tria genera tumorum cysticorum vel hydatidum in mamma existere, quorum unum hydatidi globuli formae simile esset atque illi aequaret, quae animal secretum haberetur atque interdum hic illicve corporis detegeretur[2]). Neque de diversis eorum generibus in unum concurrunt opiniones. Dum enim omnes secundum eam, quam continent, materiam illos dividunt, unus tamen tria, alter quatuor, tertius adhuc plura genera accipit et alii alio modo structuram eorum descripserunt. Telam vero cellulosam esse sedem primariam vel subcutaneam vel interstitialem secundum novissimos autores constat, ita tamen, ut

---

1) *Eben daselbst, Bd. II, S. 135.*
2) *Eben daselbst, Bd. II. S. 143.*

illi tumores non pro ulla degeneratione illius telae, sed pro nova productione haberi debeant.

Fungus medullaris. Hic tumor apud autores sub diversissimis nominibus occurrit. Ita Abernethy sarcoma medullare. I. Burns spongoid inflammation; Hey et Wardrop fungum haematodem, Laennec encephaloide designant. Quae vero differentia non nisi in singulis stadiis, quae ille tumor praebet, sistenda est. Quod autem ad telam attinet, inter plerosque eadem est sententia. Dicunt enim fere omnes, tres praecipue partes in illam coire, primum telam cellulosam, tenuem, albidam, semipellucidam, quae parvum solummodo spatium tumoris occuparet et in singula septa divisa verum fungi parenchyma contineret: dein substantiam medullarem, fungi proprium parenchyma constituentem, coloris varii ex cinereo usque ad candide album observati, quae, quoad consistentiam, modo massam constitueret mere pulposam, modo ipsi cerebro infantili similem, imo duriorem; deinde vasa, quae in fungo progenita eum nutrirent et quam maxime amplificata parietibusque admodum tenuibus instructa apparerent. De sede primaria vero vel de foco huius tumoris autores quam maxime dissentiunt: nonnulli enim in tela cellulosa, alii in substantia nervea, alii in vasis sanguiniferis, alii in vasis lymphaticis illam ponunt. Iis, qui telam cellulosam sedem primariam designant, adnumerantur Chelius, Andralius; magis vero in tela tendinosa collocat, qui etiam observationibus suis nititur, Astley Cooper: in substantia nervea autem Maunoir, qui tumorem quemvis productum tela aut fluido quodam degenerato existimat, cuius accumulatione massa non naturalis formaretur; etiam ortum fungi medullaris tali modo explicat ut dicat, hanc quidem degenerationem effu-

sionem quasi substantiae nerveae esse[1]). Quam opinionem argumentaturus Maunoir observationes affert, ubi progeniem fungi usque ad nervum ipsum persequi licuit[2]); cui vero Scarpa opposuit, ex eo, quod nonnunquam fungus medullaris in decursu nervorum inveniretur, haud sequi, nervos semper illius tumoris esse participes. Nec minus Paniza opinionem a Maunoirio in medium prolatam incertam solummodo coniecturam esse contendit, quia secundum ipsius observationes fungi medullaris, sive in extremitatibus, sive in visceribus internis, nervi semper intacti atque, sani reperti essent[3]). A nonnullis vasa lymphatica pro foco fungi medullaris accepta sunt, quoniam fungus in omnibus partibus exoriri posset et vasa lymphatica ubique dispersa essent, glandulae quoque lymphaticae saepius in eandem massam medullarem transmutatae invenirentur. Quae quidem argumenta ad opinionem hanc sustinendam, ut nobis videtur, non sufficiunt. Ex quibus circa hanc rem effatis, quanto adhuc spatio opiniones seiunctae sint, satis apparet.

Hydatides. Maxima est circa hydatides in universum adhuc dissensio; quod enim priscos auctores, qui res, quoad naturam et originem valde

---

1) *Maunoir, Abhandlung über den Markschwamm, eine gekrönte Preisschrift von I. P. Maunoir. 1820. Aus dem Französischen. p. 4. u. 7.*

2) *Eben daselbst. p. 25.*

3) *Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde von Froriep. Nr. 78. May 1823. Ueber den Markschwamm des Auges von Barth. Paniza, Prof. der Anat. zu Pavia. p. 185.*

diversas, sub uno hydatidum nomine saepe descripserunt, attinet, huius loci non est aliquid afferre. Primum in eo, quid hydatis sit, valde adhuc differunt autores. Adams hanc sententiam in medium profert[1]: „hydatides, inquit, genus peculiare animalium constituunt, quae vitam propriam habent, in viventi modo organismo degendam; secundum eam, quam continent, materiam vel hydatides lymphaticae vel cruentae vel carcinomatosae nominari debent". Et idem omnia tumorum cysticorum genera hydatides habenda esse profert[2]). Celeberrimum quoque Astley Cooper hydatides et tumores cysticos mammae sub eodem nomine tractare iam supra commemoravimus, eo autem maxime ab Adams differt, ut de uno tantum genere tumorum cysticorum, ab eo ex mamma muliebri exstirpato, tanquam tali loquatur, quod vita propria praeditum haberetur quodque hydatidem globosam dicit, sicuti saepius in hepate invenire liceret[3]). Plurimi autem hydatides illa corpora appellant, quae structuram vesicularem referentia ab omni nexu directo cum partibus circumdantibus libera sunt vitamque propriam, uti videatur, habent.

I. F. Meckel[4]), Bremser[5]) aliique tantum iis corporibus nomen hydatidum dederunt, quae echinococci speciem constituunt.

---

1) *Salzb. med. chir. Z. J. 1805. Bd. III. S. 67.*

2) *Eben daselbst, p. 68.*

3) Astley Cooper, *Vorlesungen etc. Bd. II. S. 137 und 143.*

4) *Handbuch der patholog. Anatomie, Leipzig, 1818. T. II. p. 394.*

5) Bremser, *lebende Würmer im ebenden Menschen. Wien, 1819.*

Alii vero, uti Hipp. Cloquet[1]), Cruveilhier, illis adhuc alteram entozoorum cysticorum, quae in corpore humano invenitur, speciem adiungunt. Alii deinde, sicut Lüdersen, Bruberger[2]), inter hydatides animatas et inanimatas distinguunt et has quidem classes prior statuit[3]): 1) vesiculae protuberante corpusculo, diversimodi organis instructo praeditae, interdum capsula externa inclusae; 2) vesiculae uniformes, globosae, ab omni nexu liberae, et a sacco externo circumdatae; 3) vesiculae corporis parti adhaerentes, plerumque parvae, et vermiculos sine ullo cum iis connexu continentes; 4) vesiculae simplices, variae structurae, quoad maiorem vel minorem partem corpori affixae, absque capsula externa; 5) vesiculae, serie continua inter se coniunctae, et in filum quasi desinentes, quo corpori affixae sunt; 6) vesiculae, pedunculi ope corpori adhaerentes, et racematim compositae, variae formae; 7) vesiculae irregulares, simplices vel cellulosae corpori tam arcte cohaerentes, ut non, nisi dilacerata membrana separari ab illo possint.

Bruberger tanquam hydatides has entozoorum cysticorum species adducit: 1) cysticercum; 2) coenurum; 3) echinococcum (quas omnes inter animatas profert); 4) acephalocystides (splanchnococcus laevis Bremseri), quas quidem inanimatas putat atque eas esse dicit, quae imprimis omnibus temporibus tanquam hydatides valuissent. Quod ad acephalocystides pertinet, maior quidem pars auto-

---

1) *Dictionnaire des sciences med. Paris 1818.*

2) Rust, *Theoret. prakt. Handbuch der Chirurgie, Berlin 1833. T. IX. p. 108.*

3) *Salzb. med. chir. Z. Jahrg. 1810. Bd. II. S. 40.*

rum vitam propriam illis attribuunt, nonnulli autem non omnes acephalocystides ad unam speciem referunt sed iterum inter animatas et inanimatas distinguunt.

Roozeboom[1]) denique hydatides designat tanquam Entozoa cystica formam vesicularem referentia, inclusa plerumque capsula exteriori ab organo, quo continentur, formata, in statu perfecto capite cum osculis suctoriis et uncorum corona instructa; et huc refert coenurum, anthocephalum, echinococcum et cysticercum. Quorum entozoorum cysticorum in corpore humano secundum hos autores occurrunt: echinococcus, cysticercus, et acephalocystides.

Qui de sede primaria hydatidum tam diverse descriptarum in universum loquuntur (hydatidum enim sede quoad mammam muliebrem fere nil legendum), in eo consentire videntur, ut in tela cellulosa sive interstitiali sive subcutanea ponenda sit. Aliud enim quidquam ex paucis circa hanc rem effatis abstrahi posse non putamus. Andralius, postquam in capite „sur les maladies des mammelles" nullo alio verbo de hydatidibus mentionem fecit, de sede primaria tali modo loquitur: *„dans ce même tissu cellulaire se developpent des kystes, qui contiennent soit une simple sérosité, soit une matière gélatineuse, colloïde ou encephaloide, soit de la matière tuberculeuse, soit des hydatides.* Quoque Chelius telam cellulosam pro illa accipit. Tumorum enim cysticorum sedem primariam vel in

---

1) *Dissertatio de hydatidibus, Schoonhoviae, 1837. p. 15.*

tela cellulosa interstitiali vel subcutanea sistit et tumores hydatidosos modo proprium illorum genus considerat. Nec minus B r u b e r g e r[1]) illam opinionem assumit hisce verbis utens: *„Die Wände der leztern (Urhydatiden) sind m. o. w. fest und dick, je nachdem der Ort der Entstehung viel und lockeres Zellgewebe enthält oder nicht“*; quamquam ille veterum opiniones non plane reprobare videtur haec adiungendo: *„was die Entstehung der Hydatiden angeht, so hegte man, ehe sie als Helminthen bekannt waren, sehr verschiedene Ansichten darüber. In Bezug auf die leztern fällt die Erklärung natürlich mit der über die Entstehung der Eingeweidewürmer überhaupt zusammen, und gehört nicht hieher. Rücksichtlich jener aber, bei denen mit Sicherheit noch keine Spur von Leben nachgewiesen ist, dürften die ältern Annahmen nicht sämmtlich zu verwerfen sein. Bald sollten sie sich nämlich durch seröse und purulente Ausschwitzung, bald durch eine mechanische Ausdehnung des Zellstoffes, besonders in der Nähe der Gefässe, durch Erweiterung und Anfüllung der* folliculi, *der Mündungen exhalirender und lymphatischer Gefässe bilden; lezteres findet man noch jetzt wahrscheinlich in Rücksicht auf die kleinen, an dünnen, zum Theil hohlen Fäden aufgehängten Bläschen in den Hirnhöhlen und mehreren Blasenmolen.“*

Morbis mammae muliebris secundum eum, quem nobis proposueramus, finem absolutis restat, ut tumorem illum describamus; quia tamen benevolus

---

1) Rust, *Theor. prakt. Handbuch der Chirurgie.* **Bd. IX.** *p.* **113** *und* **115.**

noster amicus, Dr. Fingerhuth, se casum hydatidum in mamma muliebri observasse, quocum simul hypertrophia coniuncta fuisset, nobis retulit, eo maioris pretii habemus illum antea adhuc adducere, quam alibi nil eiusmodi invenimus. Hisce verbis autem casum communicavit: „L. W., viginti tres annos nata, colore faciei ex flavo fusco, statura gracili, intumescentia mammae dextrae non dolorifica affecta erat, quae ante plures annos ex causa non nota exorta sensim sensimque volumine augebatur. Ante circiter decem menses multo velocius accrescere coepit et brevi talem adepta est circuitum, ut aegra laboribus consuetis non amplius praeesse posset atque multum dolore trahente versus axillam lateris affecti vexaretur, qui eam quietem quaerere saepius coegit, quo dolor, solo ex pondere mammae originem ducens, paulatim decrescens evanuit. Multis medicaminibus antea frustra adhibitis, consilium cepit, morbum naturae committere, quod per decem menses factum est. Inter hoc tempus maiori vero ratione quam antea intumescentia accreverat atque in medio emolliri videbatur, et, cum medici suppurationem suspicarentur, deinceps diversa cataplasmata adhibebantur, tamen sine ullo successu. Tum temporis aegram primum vidi, intumescentia circuitum pollicum XXVI praebuit, superficie plana fuit et omnino speciem hypertrophiae prae se ferebat; in medio, aliquid magis deorsum, locum decoloratum agnovi, qui sensum fluctuationis praebuit. Etiam tum, sicuti per totum morbi decursum, intumescentia non dolorifica erat, aegra animo fuit hilari, tamen ex duobus mensibus valde emarciata erat, querebatur de sensu premente in regione cardiaca, de defectu appetitus cibo-

rum, de oppressione pectoris et tussi sicca. Quae cum ita essent, operationem exstirpationis mammae aegrotae proposui, quam vero pertinaciter recusabat. Poposcit tamen levamen morbi et ita, lubenter simul de qualitate fluidi contenti certior fiens, in locum fluctuationis ope lanceolae incisionem feci. Eodem momento circiter III—IV. unciae fluidi serosi, flavescentis profluxerunt. Intumescentia aliquid imminuebatur; linteo carpto imponendo atque ligatura, compressionis causa, adhibita inflammationem cystidum petii. Compressione et vinctura autem mox neglecta, incisio claudebatur et post quatuor hebdomades fluidum iterum collectum fuit. Aegra secundam operationem tum recusans per quinque adhuc menses vitam degebat, ubi viribus plane defecta diem supremum obiit. Mamma explorata hypertrophica, duobus in locis tela glandulosa aliquid firmior atque durior, et prope hos locos duae cystides, sero flavo impletae, inveniebantur."

Descriptio mammae sinistrae, quae die XV. Septembris anni MDCCCXXXIV ab Ill. Wutzer amputata fuit.

Pondus habet librarum II, formam globulo dimidio similem, basi pectori adversa subplana; diametros transversa pollicum V, perpendicularis fere eadem est. Linea recta, quae inter mediam basin et mediam superficiem externam convexam ducitur, pollices II et ter quartam partem, circuitus ba-

seos pollices sedecim et quartam partem habet. Si ab integumentis disquisitionem exordimur, papilla non retracta, cutis ubique normalis invenitur; introrsum sequitur aponeurosis plane normalis, inter cuius laminas singulis locis lamellae crassae telae cellulosae condensatae observantur; multum quoque adipis adest, quamquam spiritu vini iam per quinque annos servata fuit.

Magis introrsum apparet magnus cystidum numerus, saccos rotundos formantium, quarum interna superficies serosam, externa fibrosam prae se fert speciem. Quae externa cujusque cystidis superficies adiacentibus ita coalita est,, ut mammae parenchymatis loco nil nisi dissepta, his ipsis cystidum parietibus externis formata, invenias. Ex superficie autem interna singulorum cystidum porriguntur processus, quibus insident corpora, quae, magnitudine quidem diversa, textura autem aequalia, speciem externam quam maxime similem oleris illius prae se ferunt, quo e brassicae oleraceae varietate monstrosa „Blumenkohl" utimur. Praeter illa corpora fluidum quoddam serosum, flavescens, eo tempore, quo primum observarentur, inerat. Talimodo corpuscula pathologica in aquam immersa, et pede contracto superficiei internae cystidis et processui fibroso insidentia, durante aegrotae vita, fluctuabant. Cystides vero magno numero, varioque evolutionis gradu, per tumorem dispersae, huius volumen ingens efficiebant. Corpora parasitica solida Doctori Cl. Marquart, ut explorationi chemicae subiicerentur, tradidimus. Qui quidem magna cum suavitate illam subiens hanc instituit analysin:

1) massa cum spiritu vini rectificatissimo cocta,

liquor refrigescens nil deposuit; limpidus manebat et reliquit, evaporatione peracta, laminulam flavescentem, quae aqua frigida non solvebatur; lamellarum exiguarum forma a vase separata, ne coctione quidem liquefacta est. Liquor limpide filtratus tinctura gallarum turcicarum, hydrargyro muriatico corrosivo et argento nitrico nondum mutatus, plumbi autem acetici ope albido colore tinctus est.

2) Aether ebulliens massae nil detraxit; postea cum aqua ad gradum 50 - 60 secundum scalam Reaumurianam tractata materia albida reddita est, et, evaporatione peracta, iterum aliquid laminulae flavescentis remanebat, quod aqua frigida solvebatur. Qua analysi probatur, massam exploratam sive ex fibrina sive albumine compositam, adipe vero destitutam esse.

Historia morbi.

Agnesia Engels, XXVI annos nata cum operatio institueretur, statura procera, facie tamen lurida, morbum intus et profunde haerentem accusante, tumore permagno, elastico mammae sinistrae, sensum fluctuationis praebente, laborabat, integumentis externis normalibus. Mali initium sex annis antea primum animadverterat, quousque nullo alio morbo unquam se affectam fuisse meminit, nisi quod mensibus non secundum normam fungebatur, quamobrem per quatuor iam annos, nec non tumoris causa magis magisque accrescentis, medici auxilio

usa est. Nullus ex propinquis usque ad hunc diem ullo eiusmodi morbo affectus est, sicuti mater et fratres optima atque continua adhuc valetudine gaudent. Exploratio per vaginam catameniorum irregularium causa instituta uterum textura et forma sanum esse indicabat. Pharmaca interne et externe, tum ut fluxus menstruus regularis fiat, tum ut tumor ipse solvatur, - primum a cl. Dr. Schild, postea a Prof. Wutzer, - adsidue in usum vocata spem omnem fefellerunt. Cum tandem tumor valde auctus miseram in dies magis premeret, dolores quoque trahentes accederent, somnus, appetitus ciborum, et inde vires iam frangerentur, amputatio mammae totalis ab Ill. Wutzer die XV. mensis Septembris MDCCCXXXIV, iuvantibus Dr. M. Bresler et Dr. Pesch, medico Geistingensi, instituta est. Sanguinis inter operationem effluxus solito maior fuit; caeterum actus ipse, qui mammam, ut ne tela quidem cellulosa musculum pectoralem maiorem obtegens superesset, plane auferebat, celeriter absolutus, aegram pro parvo tantum temporis spatio male afficiebat, cum vires mox restitutae, et vulneris permagni labia die XXVI mensis Octobris, maxima parte per reunionem, iam plane coalita et cicatrice firma obducta essent. Deinde per breve attamen tempus solummodo bene se habuit, ita ut agrestibus deliciis, saltando etc. iterum interesset. Quamvis nempe fonticulus pisis tribus in brachio dextro positus erat, iamiam redeunte vere malum eodem latere, circa cicatricis ipsius fines, denuo exortum est, nodulis parvis incipiens, qui sensim sensimque accrescebant et tandem permagni, vere altero post operationem institutam, perrupti sunt, ulcusque prominens, uvae formae simile, saepe

sanguinans, formabant. Quo factum, ut aegra, quae operationi repetendae pertinaciter resistebat, die IX. mensis Augusti MDCCCXXXVI, omnibus viribus defecta, diem supremum obiret.

Epicrisis anatomico-pathologica.

Descriptio tumoris excisi, et in tabula nostra ex parva parte depicti, quam supra exhibui, talia signa non praebet, quae illius generis tumoribus hucusque observatis plane conveniunt, ita, ut ille, tamquam exemplar singulare nisus formativi pathologici, in infinitum varii, existat. Quod ad fungum medullarem pertinet, forma externa, nec non textus corporum, quae cystidibus nostris insunt, pro illo quidem loquuntur; minime tamen favet analysis chemica, quae quidem adipis, cuius semper maxima copia in fungo medullari continetur, quamquam adhuc adest sub integumentis, vestigium nullum nec non aliarum in illum praeter albumen ineuntium materiarum ostendit. Quod ad hydatides quoque pro hisce nonnulla, sacculi praesertim rotundi, sero repleti, non desunt; ad genus vero hydatidum quoddam, quas hucusque descriptas legimus, cystides nostras referre haud possumus, quippe, quae corpora medullaria plane singularia continent. Similitudo adest inter hunc tumorem et illum, quem Ill. a Graefe Berolini nuper excidit, et Ill. I. Müller anatomice examinavit;[1]) tamen multum adhuc discriminis. Generi quidem „sarcomatis cystici mammae“ casum nostrum adnumerandum esse censeo; gratum autem nos lectori fecisse putamus, quod tumorem singularem pro viribus describendum, simul etiam depingendum curavimus, ut ipse eius adspectu possit frui externo.

---

1) Vide: Graefe et Walther, *Journal der Chirurgie. Bd. 27, Heft 4. 1839. S. 587.*

Curriculum vitae.

Ego, *Petrus Kessel*, *Odendorpii*, pagi circuli *Euskirchensis*, die XIX mensis Iulii anni XII huius saeculi, natus sum parentibus *Jacobo Kessel* et *Christina* e gente *Hartenberg*, quos adhuc inter vivos veneror. Fidem catholicam profiteor. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium, quod *Monasterii Eifliaci* floret, per sex annos frequentavi, studiis per annum unum morbo interruptis. Testimonium maturitatis nactus autumno anni MDCCCXXXIII universitatem *Fridericiam Wilhelmiam Rhenanam* adii et a cl. Prof. *Brandis*, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus sum. Per annum theologiae cath. incubui, deinde apud cl. Prof. *E. Bischoff*, gratiosi medicorum ord. t. t. Decanum spectatissimum, nomen professus sum. Scholae, quibus per quinque annos interfui, hae sunt:

Philosophicae:

Logice, psychologice apud cl. *v. Calker;* physice apud beatum a *Münchow;* botanice apud cl. *Treviranum;* zoologia, zootomia et historia mammalium apud cl. *Goldfuss;* chemia, phytochemia, zoochemia apud cl. *G. Bischoff*; mineralogia apud cl. *Nöggerath*; Tusculani quaestiones apud cl. *Delbrück;* historia Francogallorum apud cl. *Loebell;* odae Horatiî apud cl. *Welcker;* lingua francogallica apud cl. *Nadaud.*

Medicae:

Anatomia generalis et specialis bis apud cl. *Mayer* et *Weber;* diaetetice apud cl. *Ennemoser;* pathologia generalis, morbi chronici apud cl. *Naumann;* encyclopaedia atque methodologia medicinae, nec non materia medica, medicina forensis, formulare, epizootiae apud cl. *E. Bischoff;* historia generationis et evolutionis apud cl. *T. Bischoff jun.;* physiologia, historia generationis et evolutionis apud beatum cl. *Windischmann;* toxicologia, therapia universalis, historia medicinae apud cl. *Harless;* chirurgia, anatomia chirurgica, doctrina de instituendis operationibus, ophthalmiatrice, doctrina de fasciis applicandis apud cl. *Wutzer;* therapia generalis et specialis, anthropologia, de instituendo medico, colloquia clinica, morbi psychici apud cl. *Nasse;* situs viscerum, repetitorium anatomiae apud cl. *Weber;* ars obstetricia, fracturae et luxationes, instrumenta obstetricia, morbi uteri apud cl. *Kilian.*

In practicis exercitationibus mihi duces fuere: In cadaveribus secandis cl. *Mayer* et *Weber;* operationibus in cadavere instituendis, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico auscultanti per duo et practicanti per duo semestria cl. *Wutzer;* in exercitationibus in phantomate instituendis, in clinico obstetricio auscultanti per unum, practicanti per tria semestria cl. *Kilian;* in clinico medico propaedeutico, in clinico medico practicanti per tria semestria cl. *Nasse.*

Quibus viris omnibus optime de me meritis maximas, quas possum, gratias habeo et semper habebo.



Schütten ad nat. del.

Theses defendendae.

1. *In morbis pectoris stethoscopus plurimum confert ad diagnosin.*
2. *Tubercula cerebri suspicari quidem, sed non dignoscere licet.*
3. *Terebrationem capitis, usque dum symptomata cerebri exoriantur, semper protrahere, est nefas.*
4. *Amputatio membrorum, quae cum uno lobo perficitur, in universo aliis methodis praeferenda.*
5. *Partus praematurus artificialis nunquam loco sectionis caesareae potest substitui.*
6. *Dilatatio orificii uterini incruenta non adhibenda.*
7. *Sectionem caesaream admittere solummodo penes matris esto arbitrium.*